

Chartes et documents de Saint-Bénigne de Dijon. Prieurés et dépendances des origines à 1300. Tome premier., 58

Placuit utrisque partibus, inter Erlerio et uxore sua, et ab alia parte Vualdrico, per jussionem et consensum domni Tedbaldi episcopi, aliquid de terris inter se commutare vel procamiare, quod ita in presenti fecerunt. Dederunt Erlerius et uxor sua Rodlendis partibus Vualdrici, de suo proprio, ad jus illius et ad beneficium sancti Benigni recipiendum, mansum unum qui est situs in pago Columbarensi, in fine Curterotmoniacensi, vel in ipsa villa Corotmundo; ipse mansus abet terminationes, de uno latere Sichelmus et Germundus; de alio latere aqua percurrit; de uno fronte, terra sancti Petri et sancti Prejecti; de alio vero fronte, terra Gaudini et Vuichelmi, et strada publica pergit: et habet in longo perticas agripennales XVI et pedes III; et in lato perticas XV; infra istas terminationes vel perticationes, ipsud mansum cum exo et regresso, et cum omnibus adjacentiis ad ipsum adspicientes, totum ad integrum commutaverunt Herlerius et uxor sua partibus Vualdrici. Similiter alias terras per ipsas fines supra jam dictas, tam olcis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, omni ex integro tradiderunt Herlerius cum uxore sua Vualdrico, ad suum proprium beneficium, ad partem et jus sancti Benigni recipiendum. Similiter dedit Vualdricus Herlerio et uxori suae Rotlindae, de suo beneficio, de terra sancti Benigni, mansum unum cum supraposito, cum exo et regresso, et omnibus adjacentiis ad ipsum mansum aspicientibus, qui est situs in pago Magnomontense, in fine Coionense, vel in ipsa villa Coiono; ipse mansus abet terminationes, de uno latere, terra sancti Marcelli; de alio latere, terra sancti Victoris et exitu communalis; de uno fronte, strada publica pergit; de alia vero fronte, Oscara fluvius decurrit; abet in longo perticas agripennales XVIII, in ambis vero frontibus et in medio, perticas VIII et pedes IX: infra istas terminationes vel perticationes, totum ad integrum commutavit Vualdricus partibus Herlerii et uxoris suae, ad jus eorum proprium recipiendum. Similiter alias terras, in ipsis finibus supra jam dictis, tam olcis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, exus et regressus, omnia ex integro commutavit Vualdricus partibus Herlerii et uxoris suae Rotlindae ad eorum jus proprium. Et promittunt inter se unusquisque par contra parem suum, de eo quod accepit, quod calumniam dicere vel repetere non debeat; quod si fecerit, inferat calumpniator in duplum, tantum quantum ipse mansus vel ipse que ad eum pertinent terrae, eo tempore in melioratae valuerint, fisco vero auri libras duas, et hoc procamium inter ipsos factum omni tempore firmum et stabile permaneat stipulatione subnixum. Actum Divion vico sancti Benigni, publice. S. Herlerii et uxoris suae qui commutationem istam fieri et firmare rogaverunt. S. Vualdalenii. S. Vuandalmarii. S. Alarici. S. Vuarnerii. S. Brunengi. S. Alboini. S. Ingelmarii. Ego in Dei nomine Tedrinus clericus scripsi et subscripsi, datavi die martis, quod est IIII kalendas januarii, in anno V regnante domino nostro Karlo rege.